

Hic quatuordecim Tabulis Chronologicis, quas ad illustranda Historie Ecclesiasticae tempora contuli, coronidem lubens impono, in quibus si aliquot circa Chronologiam errores offendat eruditus Lector, facile mihi, ut spero, pro sua benignitate condonabit. Nec enim, ut candidè fatear, unius est hominis videre omnia, nedum examinare. Unus in uno clarius videt, alter in altero, alius in alio. Sic in dies lux crescit & eruditio, & multorum splendoribus redditur Ecclesia illustrior; sic & bona melioribus, dum multi intendunt oculos, permittuntur. Ceterum (mihi testimonium perhibente conscientia mea) palam & intrepide profiteor, me in describenda Historia Ecclesiastica nullo partium studio, nec humano aliquo affectu fuisse abreptum; quia Historicum Scriptorem, utpotè personam publicam, eodem loco, quo Judicem, personam itidem publicam, repono, & parem ab utrisque gravitatem, veri & æquæ rerum scribendarum, perinde ac judicandarum severissimum examen efflagito; nihil patior ab illis gratiæ & odio dari, vel nullo partium studio laborare, sed, quoad ejus fieri potest, omni humano affectu intactos, aut majores esse volo. Unde, quemadmodum Judex maximam curam adhibere debet ad veritatis indaginem, ad testium examen, ad suum cuique tribuendum, ita ut maximi criminis reum se faciat, si pro villi parte jus suum unicuique non reddat, quia non sit persona publica, ejus judicio stant omnes in rebus, de quibus fert Sententiam; ita Scriptor Historicus debet omnia exequere, quam diligentissimè, & ab Authoribus, quos in fidem advocat, fidem exigere incorruptam, & suspectam ac nullam habere, si vel minimum subodoratus fuerit, eos aliquid suis affectibus indulgere. Si autem aliter se gesserit Scriptor Historicus, gravissimi certe in Republica Literaria criminis reus evadet, quia eam sit persona publica, cujus fidei committitur examen rerum ab antiquis gestarum, quas omnibus non licet per se investigare; Sententiam ejus sequuntur plerique, qui verbis ejus fidem adhibentes, decipiuntur, dum errorem pro veritate amplectuntur. Quæ cum ita sint, iniquè propterea egissem, si in describenda Historia Ecclesiastica, falsa ut vera, obscura ut clara, dubia ut certa obtrudere voluissem. Sciebam quippe, mentiri Christianis omnibus, multo magis religiosam vitam professis, nullam unquam ratione licere, longèque minus, cum mendacium multis exitiale est ac periculosum, sicut contigit in Scriptore Historico, qui mendacia vertit in perniciem multorum, quos secum in errorem trahit. Omni igitur, quo potui, animi candore, ingenuè & apertè dixi, quod verum esse novi. Pateor attamen pro ea, quæ Religiosum virum decet, sinceritate, me quibusdam in locis coactum fuisse, habita ratione temporis, loci, personarum, & qua-

rumdam circumstantiarum, aliquid veri tacere, nihil tamen falsi me dixisse ulterius tacebitur Lector, qui Colloquia mea in Historiam Ecclesiasticam ab omni præjudicata opinione vacuus legere non præjudicabit. Nunc igitur, post ebibitum sac superque oleum lucernæ, manum è tabula subduco, ac dulci deinceps fructurus otio, mihi, Musisque, quæ invidiam nesciunt, & malignum docent spernere vulgus, intraspargium canam.

Faxit Deus Optimus Maximus, ut omnia, quæ hæcenus à me in rem Theologiae Candidatorum scripta sunt, in ejus gloriam, ac Beatissime DEI Genitricis Mariæ Virginis, Sanctissimi Patris DOMINICI, & totius Curie Cælestis honorem cedant, possintque omnes Historie Ecclesiasticae studiosi hæc, quæ in Historiam Ecclesiasticam insitui, literaria Colloquia, lætando, citra ullum erroris periculum, & inoffenso pede decurrere ac perlustrare singula, quæ ab exordio Ecclesie ad hæc usque tempora compendiosè referuntur. Verum, quia labi humanum est, benignum Lectorem etiam atque etiam obsecro & obtestor, ut meos lapsus pro sua benevolentia condonet, eaque mihi indulgeat, quæ quidem tolerabilia sunt, excepto, si quid contra quampiam inofficiosè, maxime si quid vel tantillum contra debitam Catholicæ Romanæ Ecclesie, Sedisque Apostolicæ, reverentiam vel doctrinam mihi nec cogitanti, & nolenti excidisset. Absit enim, ut ab hac Regula veritatis, Matre, inquam, Ecclesiæ unquam dissentiam; cujus judicio ac Censuræ quæcumque hæcenus scripsi, vel posthæc, si mihi suppetant vires, scripturus sum, summâ, quæ par est, animi demissione; in cujus sinu & fide semper vixi, & constanter, bene fortunante Deo, mori exopto, atque membratim potius discerpeliam, quam ut à Romanæ Ecclesie, Sedisque Apostolicæ Doctrina & Definitionibus velatum quidem unguem desiscam, quandoquid quidquam spiritus calebit in corpore meo.

In his faciam finem sermonis. Et si bene, & ut Historia competit, hoc & ipse velim sin autem minus dignè, concedendum est mihi. Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est; alternis autem uti delectabile; ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus. Verba sunt Sacri Auctoris lib. 2. Machab. Capite ultimo. Ut autem candidè Lector, majori cum fructu ea, quæ hæcenus de Historia Ecclesiastica scripsi, legere possis de addam saluberrimum S. Augustini lib. 1. De Trinitate cap. 3. monitum, his verbis expressum: Quisquis hæc legit, ubi pariter certat, pergat mecum; ubi errorem suum cognovisset, redeat ad me; ubi meum, revocet me; ita ingrediamur simul charitatis viam, tenentes ad eum, de quo dictum est:

Quærite faciem ejus semper.

FINIS totius Operis.

INDEX



I N D E X

GENERALIS,

AMPLUS & ACCURATUS.

IN QUO

Juxta Ordinem Alphabeticum, designantur res præcipue, ac materia, quæ in singulis Tomis

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,

variis Colloquiis digesta

R. P. FR. IGNATIO HYACINTHO
AMAT DE GRAVESON,

Sacrae Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatenensis Theologo, Ordinis Prædicatorum,

sparsim continentur.

NB. *Prima Nota Numeralis Romana Tomum; altera Nota Numeralis communis Paginam Tomi; Littera a latus paginae antèrius, b postèrius indigitat.*

A.



Barludus in Synodo Sueffionensi damnatur, & in carcerem conjicitur. IV. 140. b. seq. In Synodo Senonensi cum S. BERNARDO congressus, ab eodemque victus, ad Sedem Apostolicam appellat. 141. a. Ab INNOCENTIO II. damnatur. ibid. Cluniacum se confert, & ab erroribus respicit. 141. b. Abbates Commendatarii. VII. 146. a. Abbates Episcopus obedientiam præstare debent. II. 69. a.

R. P. Hyacinti Hist. Eccl. Index.

S. Abbo, Abbas Floriacensis, purgat se à falsis criminibus in Concilio Sandoniano.

a. seq. Ejus Opera. IV. 60. b.

Abbonis, Monachi, Scripta. III. 120. b.

Abdias, Sufæ, Urbis Regis Persidis, Episcopus, immo diebus relictis succensus persecutioni sub indigendo, Persarum Rege per totam Regnum morte causam dedit. II. 6. d.

Abrahami Baorii Opera. VIII. 127. a.

Abrahami Ecchellenis Opera. VIII. 116. a.

Absolutio Sacramentalis in quibus casibus conferebatur lapsis. I. 40. a. non statim impertienda peccatoribus inveteratis. III. 173. b. peccatorum debet peccatoribus confectudinibus.

(2)

IV.